Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">>



81

Sufficere credimus ad refectionem cotidianam tam sexte quam none omnibus mensibus cocta duo pulmentaria, propter diuersorum infirmitates, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerint inde poma aut nascentia leguminum addatur tertius. Panis libra una propensa sufficiat in die, siue una sit refectio siue prandium cene. Quod si cenaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellerario reseruetur reddenda cenaturis. Quod si forte labor fratrum fuerit maior, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota per omnibus crapula, ut nunquam surripiat monacho indigestio, quia nichil sic contrarium est omni christiano quomodo crapula, sicut ait dominus noster. Videte ne grauentur corda vestra in crapula et ebrietate. Pueris vero minori etate non eadem seruetur quantitas sed minor quam maioribus, seruata in omnibus paritate. Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, preter omnino debiles et egrotos.

De mensura potus. Capitulum 40.

Unusquisque proprium donum ex deo habet, alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contentes infirmitate, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem deus donat tolerantiam abstinentie, propriam se mercedem habituros sciant. Quod si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor estatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas, licet legamus vinum omnino monachorum non esse